



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorvm Liber ... Hoc est,  
Collectio Vetervm monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1679**

Balduini de Luxemburgo Archiepiscopi Treverensis litteræ de  
confœderatione facta cum Philippo VI. Francorum Rege.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14735**

re ac insistere apud eum quod dignetur de opportuno  
remedio providere. Recommendo gratiae vestrae me  
& Ecclesiam Tarragonae. Datum Turolij VII. Kal.  
Augusti anno Domini MCCCXXXVII.

**BALDVINI DE LUXEMBURGO**  
*Archiepiscopi Treverensis litterae de confœde-  
ratione facta cum Philippo VI. Fran-  
corum Rege.*

**B** Aldevvinus Dei gratia sanctæ Treverensis Ecclæsiæ Archiepiscopus, sacri imperij per Galliam Archicancellarius. Cum iis quos divina gratia folio majestatis & status sui magnitudine benignè extollit ligam specialis amicitiae libenter contrahimus, per quos nobis ac nostræ Ecclesiæ promotiones, utilitates, & commoda provenire speramus. Notum igitur facimus universis quod nos serenissimo & præclaro Principi Domino Philippo Francorum Regi, cuius salutis & honoris continuum incrementum ex justis & rationabilibus causis nos moventibus ex intimes affectamus, tenore præsentium promittimus bona fide quod ipsius ex nunc simus & esse debeamus & velimus in perpetuum, quandiu vixerimus, bonus, fidelis, & confœderatus amicus, ita ut omnia & singula ipsius negotia præsentia & futura cum quibuscunque promoteamus & procuremus & eisdem intendamus, quatenus commodè poterimus, apostolicæ sedis & nostro honore salvo, per meliores vias quas possimus invenire seu cogitare ad ejusdem Domini Regis utilitatem & profectum, & quod damna ejus evitemus & impediamus absque fictione, omni ingenio malo cessante. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum.

Anno 1342.

Datum Treveris die decima septima mensis Septembris anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo primo.

**L V D O V I C I IV. B A V A R I**  
*Imperatoris submissio facta Clementi VI.  
 anno M C C C X L I V. die xvi. mensis Ja-  
 nuarij per Humbertum Dalphinum Vien-  
 nensem & alios ejusdem Ludovici Ambas-  
 siatores.*

Ann. 1344.

**I**N nomine Domini. Amen. Anno à' nativitate ejusdem M C C C X L I I I . Indictione xii. die xvi. mensis Ianuarij, pontificatus sanctissimi Patris & Domini Nostri Domini Clementis divina providente clementia Papæ sexti anno secundo, in Consistorio publico, in quo fuere præsentes Reverendi Patres Domini miseratione divina, Petrus Penestrinus, Bertrandus Ostiensis, Gaucelinus Alabanensis, Iohannes Portuensis, Annibaldus Tusculanus, Petrus Sabinensis Episcopi, Imbertus Tituli Basilicæ xii. Apostolorum, Talayrandus Tituli sancti Petri ad vincula, Petrus Tituli sancti Clementis, Gotius Tituli sanctæ Priscæ, Bertrandus Tituli sancti Marci, Bernardus Tituli sancti Cyriaci in Thermis, Guillelmus sanctorum Quartuor coronatorum, Guillelmus Tituli sancti Stephani in Cœlio monte, Helias Tituli sancti Vitalis, Guido Tituli sanctæ Cæciliæ, Stephanus Tituli sanctorum Iohannis & Pauli, Hugo Tituli sancti Laurentij in Damaso, Ademarus Tituli sanctæ Anastasiæ Presbyteri, ac Raymundus sanctæ Mariæ Novæ, Galhardus sanctæ Luciæ, Iohannes sancti Angeli, Bertrandus sancti Eustachij, & Guillelmus